

Iesu Christi, quæ passa est pro peccatis nostris, quam Pater sua bonitate resuscitavit. Hoc qui negant, sunt hæretici.

*Iustinus.*

Non ut vulgarem panem, & vulgare poculum hæc sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus servator noster carnem & sanguinem habuit pro salute nostra: sic etiam per Verbum precationis & gratiarum actionis, sacramentum ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incarnati Iesu carnem & sanguinem esse didicimus. Nam Apostoli in suis scriptis, quæ vocantur Evangelia, sic sibi mandasse Iesum tradiderunt, sumto pane, actisq; gratijs dixisse: Hoc facite in mei memoriam, Hoc est corpus meum. Similiter sumpto poculo, actisq; gratijs dixisse: Hic est sanguis meus.

*Tertullianus de resurr. carnis.*

Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.

Aduersus gentes testatur Tertullianus, Christianos in simulatos fuisse infanticidij, sicut Eusebius quoq; lib. 5. Histor. Ecclesiast. inquit,